

perfedemus ; gnari, æterno motu univerſi, qui æternitatem etiam mundi ſupponit, everti potius Dei exiſtentiam, quam ſtatuminari.

II. Poſſent etiam huc referri ſequentia Univerſariæ peſtis antidota, *mundum non ex atomorum fortuito concuſſu natum*, quæ erat abſurdiffima Epicureorum ſententia ; *vere dari materiam*, illamque adeo non merum eſſe ſchema & phænomenon, ita, ut quicquid reale ſit, ſpiritus ſit, quæ eſt I. G. Wachteri opinatio ; neque *fatum fortunamque præter Dei conſilium & gubernationem dari*, cujus ratio cum perſpecta mortalibus non ſit, ad formulas primum iſtas, deinde ad profanas Stoicorum aliorumque voces deſcenderunt.

PRÆNOTIONES
CONTRA IRRELIGIO-
NARIOS CUSTODIENDÆ.

PRÆNOTIO I.

Non ſufficit, Atheos explicitos, Deiſtas & Univerſarios, h. e. illos, qui Deum dari negant, vel ita eum repræſentant, ut veram ejus eſſentiam directe evertant, vel univerſum hoc a Deo dependere negant, refutaſſe ; etiam illorum retundendus furor eſt, qui omnem ſenſum cultumque Numinis, ſive religionem, palam armis hoſtilibus aggrediuntur. Horum dum omnia